

# **Francesco D'Elia**

---

**Quid de praeterita naturarum  
conditione earumque  
permutationibus Johannes Scottus  
Eriguena senserit**

---

Studia Warmińskie 39, 41-53

---

2002

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

---

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## QUID DE PRAETERITA NATURARUM CONDITIONE EARUMQUE PERMUTATIONIBUS IOHANNES SCOTTUS ERIUGENA SENSERIT

Quaestio de rerum universarum permutatione caput est praecipuum ac firmissimum in opere et philosophico et theologico Johannis Scotti Eriugenae\*, qui hoc in argumento originem ratiocinandi trahit ex philosophia neoplatonica, praesertim posteaquam *Corpus Dionysiacum* in latinam linguam vertit. Quo facto doctis madiae aetatis viris in occidente Eriugena novas ideas aperuit, quae tunc temporis, omnium consensu, tribuebantur illi iudici atheniensi, qui conversus est a Paulo, post sermonem quem apostolus habuerat in Areopago, ut in Actibus Apostolorum legimus<sup>1</sup>.

Ab Eriugena, qui Ps.-Dionysii et neoplatonicorum philosophorum vestigia ex parte est secutus, concipitur „descensus” (πρόδοσις) a Deo, qui unus est et simplex, in rerum divisionem et multiplicitatem, et inde prospicitur „ascensus” vel omnium redditus (ἐπιστροφή) ad unitatem primi principii. Duplex iste processus duplex secum fert permutationis genus, quorum alterum fluxile et multiplex arripit iter, cum fiat discessio ab eo qui purus et simplex est, immo absolute unus, in variarum ac discrepantium rerum corruptionem; alterum genus e converso complectitur universalem rerum restaurationem, quae reapse efficitur omnium naturarum redditum rationalium tum irrationalium ex multiplici diversitate ad simplicissimam Dei unitatem<sup>2</sup>. Fit enim maxima reparatio in Dei conversionem post lapsum in errorem

\* Opera Iohannis Scotti Eriugenae, quae infra referuntur, hisce brevioribus formulis notantur:

Annot. — Annotations in Marcianum, ed. C.E. Lutz, Cambridge/Mass., Mediaeval Academy of America, 1939 (reimpr. 1987).

Comm. — Commentaire sur l'Evangile de Jean. Introduction, texte critique, traduction, notes et index de É. Jeuneau (SC 180), Paris, Du Cerf, 1972.

Exp. — Expositiones in Ierarchiam coelestem, ed. J. Barbet (CCM 31), Turnhout, Brepols, 1975.

Horn. — Homélie sur le Prologue de Jean. Introduction, texte critique, traduction et notes de É. Jeuneau (SC 151), Paris, Du Cerf, 1969.

Pph. — Periphyseon, De divisione naturae. I-IV, *Iohannis Scotti seu Eriugenae Periphyseon*, ed. É.A. Jeuneau (CCM 161, 162, 163, 164), Turnhout, Brepols, 1996, 1997, 1999, 2000; V, *Ioannis Scotti opera quae supersunt omnia*, ed. H.J. Floss (PL 122), Paris 1853 (reimpr. Turnhout, Brepols, 1967).

Praed. — De divina praedestinatione, ed. G. Madec (CCM 50), Turnhout, Brepols, 1978.

<sup>1</sup> Act. Apost., 17, 34.

<sup>2</sup> Plures et profusius in opere *Periphyseon* Eriugena disserit de omnium naturarum descensu earumque ascensu vel reditu in unum vel unitatem, ita ut in finali reversione naturae omnes unum sint cum summa causa, videlicet Deo. Hac doctrina, quae summatim colligitur in fine libri quinti,

complexionis et in corruptionis dedecus. Lapsus ab uno et puro fonte in rerum dissimilitudinem earumque redditio ad summum et unum principium, certo pertinet ad neoplatonicam doctrinam, quae tam perspicua et grata visa est doctoribus christianis, ut eam commode fidei veritatibus aptarent. Iohannes Scottus doctrinis graecorum sapientum quodammodo adlectus et exemplis nisus graecorum Patrum (memoramus, exempli gratia, Maximum Confessorem, Origenem, Gregorium et Nazianzenum et Nyssenum) necnon latinorum scriptorum (significamus in primis Augustinum, maximum auctorem), rationem praceptorum suorum optime et cum auctoritate instituit.

Omnis doctrina de „descensu et reditu” non tantum operationis et argumentis metaphysicis apud Eriugenam probatur, sed praecipue firmissimis nititur fidei argumentis, quae ex interpretatione sacrae Scripturae colliguntur. Profecto Scripturam Eriugena docet fontem esse primarium argumentandi veritatisque explanandae:

Ratiocinationis exordium ex divinis eloquiis assumendum esse aestimo [...].  
Ex ea [Scriptura] enim omnem veritatis inquisitionem initium sumere necessarium est<sup>3</sup>.

Quae ratio claris alibi significatur notis:

Quoniam scriptum est: „Nisi credideritis, non intelligetis”, necesario praecedit fides in monumentum sanctae Scripturae, deinde sequens intrat intellectus, cui per fidem praeparatur aditus<sup>4</sup>.

Quo ordine pro certo posito, sequitur tamen ut Scriptura et recta ratio firmiter simulque procedant ad capiendam veram mundi naturam cum rerum omnium permutationibus. Utraque auctoritate firmatur solida, utraque vi probandi pollet certa; nam religio et philosophia ad eundem tendunt finem, nempe ad Dei veritatem, eodemque a fonte profluunt, videlicet a sapientia Dei, qui auctor est omnium artium<sup>5</sup>. Quare Augustini mentem in promptu revocata, Eriugena aequitatem inter philosophiam et religionem aperte testatur:

---

quadruplex, ut omnibus patet, proponitur natura: 1) natura increata et creans (Deus); 2) natura creata et creans (causae primordiales in Verbo); 3) natura creata nec creans (sensibilia et intelligibilia universitas); 4) natura nec creata nec creans (reditus in Deum, unum omnium principium et finem).

<sup>3</sup> Pph., II, p. 27 (545 B).

<sup>4</sup> Hom., p. 214 (284 D–285 A). Cfr. Is 7, 9. De interpretatione apud latinos Patres huius versiculi, desumpti ex versione biblica, quae „septuaginta” viris tribuitur, legere poteris quid referat É. Jeaneau, in Hom., p. 215, n. 5. Apud *Vulgatam* vero sic legitur: „Si non credideritis, non permanebitis”.

<sup>5</sup> Pph., IV, p. 12 (749 A): διαλεκτική [vel philosophia] non ab humanis machinationibus [est] facta, sed in natura rerum, ab auctore omnium artium [...] condita, et a sapientibus inventa, et ad utilitatem sollertia rerum indagis usitata”; Exp., p. 16 (139 D–140 A): „Liberales disciplinae [quibus philosophia movetur] in unam eademque internae contemplationis significacionis adunantur, qua summus fons totius sapientiae, qui Christus est, undique per diversas theologiae speculationes insinuatur”.

Quid est aliud de philosophia tractare, nisi verae religionis, qua summa et principalis rerum causa, Deus, et humiliiter colitur et rationabiliter investigatur, regulas exponere? Conficitur inde veram esse philosophiam veram religionem conversimque veram religionem esse veram philosophiam<sup>6</sup>.

Quam doctrinam adhuc ipse confirmat:

Nemo intrat in coelum nisi per philosophiam<sup>7</sup>.

Eriugena, ut his verbis conicitur, philosophiam ex parte existimat artem vel organum, quod religionis regulas statuit, sed potius scientiam censem, qua mens ad summam pervenit causam rerum. Ubi ultimus iste speculationis finis attingitur — quod est enim certum philosophiae institutum — ibi reapse habetur vera religionis et philosophiae adaequatio. Quare haec duplex via, quae ad hauriendam veritatem ab Iohanne Scotto percursatur, potest hinc *methodus exegetica* et i-348linc *methodus noetica* rite nuncupari. His duobus argumentandi rationibus, quae praincipuae probandi lineae in eius scriptis proponuntur, numquam dividenda vel relinquenda, ad verum tutis itineribus contenditur; nec ulla oppositio inter has methodos inveniri potest, cum ad eandem veritatem petendam maxime aptae sint. Peropportune hic evenit quam brevissime explicare viae noeticae sensum, quae peculiariter et distinete agnitionem vi intellectus adeptam significat. Attamen primi inquirendae veritatis gradus (hoc est bene notandum ad mentem philosophi nostri intelligendam) ope sensus et rationis ponuntur. Ab Eriugena nempe tres animae motus ad cognitionem adquirendam reapse describuntur: *sensus*, *ratio* et *intellectus*. Cum anima vertitur et convertitur in Deum, fit gradatim permutatio vel transitus de sensu in rationem, de ratione autem in intellectum, intellectus postremo ad Deum perveniet et in Deum mutabitur<sup>8</sup>. Cum ultimus motus, in vertice ascensus de multiplici ad unum, fiat per intellectum, omnis ergo processus, quo peracto purissimus intellectus vel mens (graece νοῦς) naturam introducit humanam in Dei visionem, iure noetica via appellari potest. Quae via, insuper, vel *methodus absolute*

<sup>6</sup> Praed., p. 5 (358 A). Cfr. Augustinus, *De vera religione*, V, 8: „Sic enim creditur et docetur, quod est humanae salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est sapientiae studium, et aliam religionem”.

<sup>7</sup> Annot., p. 64.

<sup>8</sup> Pph., I, p. 15 (451 A). „Ut ait magnus Gregorius theologus, corpora [vel *sensus*] sanctorum in rationem, ratio in intellectum, intellectus in Deum, ac per hoc tota illorum natura in ipsum Deum mutabitur”. Vide quid enuntiaverit Gregorius Nazianenus, *Orationes*, VII, PG 35, 781 C–784 A. Cfr., praeterea, Pph., II, pp. 63–64 (572 C–573 A): „Tres universales motus animae sunt, quorum primus est secundum animum, secundus secundum rationem, tertius secundum sensum. Et primus quidem simplex est et supra ipsius animae naturam [...], circa Deum incognitum circa Deum incognitum [...]. Secundus vero motus est, quo incognitum Deum diffinit secundum quod causa omnium sit [...]. Tertius motus est compositus, per quem, quae extra sunt anima tangens veluti ex quibusdam signis apud se ipsam visibilium rationes reformat”. Eriugena fere iisdem verbis hic refert quae scripserat, *Maximus Confessor*, *Ambigua ad Iohannem* iuxta Iohannis Scotti Eriugenae latinam interpretationem, VI, ed. É. Jeauneau (CCSG 18), Turnhout, Brepols; Leuven, University Press, 1988, p. 48. Animus idem est ac νοῦς intellectus vel mens, ut Eriugena exponit in Pph., II, p. 66 (574 B): „Νοῦς a graecis, a nostris intellectus vel animus vel mens dicitur et substantialiter est, et principalis pars animae esse intelligitur”.

statuitur, quando pro certo probatum est rerum universitatis et in primis humani generis transitum fore in mundum intelligibilium seu in causas primordiales, nempe in Dei Verbum, quod est Λόγος (vel Νόος), id est, *rerum omnium principalissima ratio*<sup>9</sup>.

Naturarum universitas necesse est ad suum principium convertatur, cum tota sit a Deo profecta ac tota preecepit illapsa sit originali culpa. Adam enim, qui primus deliquit, non solum homines dispersos et noxae subiectos reddidit, sed etiam universitatem rerum ratione parentium culpae subiecit, quandoquidem homo *omnium officina, conclusio et medietas* intelligitur esse<sup>10</sup>: ideoque censendum est, primi parentis crimen, non solum humanam sed universam rerum naturam infectam esse. Haec est enim origo historica et metaphysica, ex qua dispersio et perversa multiplicitas diffusa est in mundum et res omnes malum pervertit<sup>11</sup>. Vis διαρρετική, qua neoplatonici philosophi usi sunt ad explanandam permutationem seu eruptionem in multiplicitatem, recipitur in mente Eriugene et congruenter aptatur ad explicandam culpam originalem, qua in divisionem et aversionem a Deo mundus corruit. Neoplatonica idea veste, poene dixerim, christiana involvitur, ita ut fiat platonismi vel neoplatonismi recuperatio in christiana doctrina. Haec ratio disciplinaque, qua Eriugene preecepta firmantur, opportunitatem ei praebet explicandi

<sup>9</sup> Pph., III, p. 35 (642 A). Cfr. Ibidem, „Rationes omnium rerum [...], in ipsa natura Verbi, quae superessentialis est, intelliguntur [...]. Nam a graecis Λόγος vocatur, hoc est Verbum, vel ratio, vel causa”.

<sup>10</sup> Ibidem, IV, p. 60 (782 C–D): „Proinde post mundi visibilis ornatus narrationem introducitur homo veluti omnium conclusio, ut intelligeretur quod omnia quae ante ipsum condita narrantur, in ipso universaliter comprehenduntur”; V, 807 A: „Universitas visibilis et invisibilis creaturae in eo [homine] condita est”; 911 A: „Nihil enim in mundo est, quod non in humana natura comprehendatur”; Hom., p. 294 (294 B): „In homine solo [...] omnis creatura adunatur”; Pph., II, p. 17 (536 A–B): „Inter primordiales rerum causas homo ad imaginem Dei factus est, ut in eo omnis creatura et intelligibilis et sensibilis, ex quibus veluti diversis extremitatibus compositus unum inseparabile fieret, et ut esset medietas atque adunatio omnium creaturarum”; III, p. 163 (733 B): „Ac per hoc, non immerito dicitur homo creaturarum omnium officina, quoniام in ipso universalis creatura continetur”. Vide, praeterea, Pph., V, 893 C, ubi Eriugena persequitur definitionem (*homo cunctorum continuatissima officina*), quam instituerat Maximus Confessor, Ambigua, cit., XXXVII, p. 180. Cfr. D. Moran (qui via gnoseologica quaestionem solvit), „'Officina omnium' or 'notio quaedam intellectualis in mente divina aeternaliter facta'", in: L'homme et son univers au moyen âge. Actes du septième congrès international de philosophie médiévale (30 août – 4 septembre 1982), ed. C. Venin, Louvain-La-Neuve, Institut Supérieur de Philosophie, 1986, pp. 195–204; C. Steele, „La création de l'univers dans l'homme selon Jean Scot Érigène", Ibidem, pp. 205–210.

<sup>11</sup> Comm., pp. 170–174 (310 B–C): „Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod commune est totius mundi [...]. Est itaque originale peccatum illud quo tota humana natura, simul et semel ad imaginem Dei condita et in qua omnes homines ab initio mundi usque ad finem et unum sunt et secundum corpus et animam simul creati, leges divinas per inobedientiam transgressa est in paradiso, nolens mandatum Dei custodire. Non enim primus Adam ille, qui ex generalitate naturae humanae ante caeteros in mundum hunc visibilem venit, solus peccavit, sed omnes peccaverunt priusquam in mundum procederent". E. J. a u n e a u, qui editionem curavit, sub nota 7, significanter animadvertisit Adam et in actu peccandi esse hominem „meta-historicum", ita ut in eo omnes homines creati sint simulque in eo peccaverint. Lege, insuper, Pph., II, p. 77 (582 A–B): „In ipso generali et universalis homine omnes homines [...] peccaverunt, [...] antequam unusquisque [...] in sua discreta differentia in anima rationali et spirituali corpore appareret"; Praed., p. 96 (419 B): „Si enim in uno communis omnium et corporalis et spiritualis naturae humanae plenitudo sit constituta, necessario ei inerat singulorum voluntas propria. Non itaque in eo peccavit naturae generalitas, sed uniuscuiusque individua voluntas". Cfr. J. Trouillard, „Érigène et la théophanie créatrice", in: The Mind of Eriugena. Papers of a Colloquium. Dublin 14–18 July 1970, ed. J.J. O'Meara and L. Bieler, Dublin, Irish University Press, 1973, p. 109.

permutationes, quae in mundo factae sunt, per geminam methodum de qua sermo est, et adstruendi, etiam auxilio rationis et intellectus, ordinem veritatum theologicarum, quae ex lectione sacrae Scripturae apprime eluent.

Duplum hoc in investigando iter ingressus, Eriugena sequitur distincte gradus redditionis unversarum rerum ad principium sui. Ad significandos omnium transitus in unum — obiter hic scribimus — varia et opportuna ipse utitur serie verborum, quorum nonnulla memoramus: *mutari, permutari, transmutari, moveri, ferri, transire, solvi, resolvi, versari, verti, reverti, converti, redire, reddi, redigi, restaurari, revocari, restitui, adunari, colligi, copulari, transfundi, transferri, absorbi, attrahi, renovari, recapitulari, resurgere, ascendere, perfici, sublimari, deificari*. His in casibus sensus fere idem funditus appareat, qui tamen inde congruenter variatur singulis verbis ad specificas sententias enotandas. Etsi omnium naturarum permutationes Eriugena diligenter considerat, multo tamen attentius et diligentiore studio prospicit atque perscrutatur singularem ad Deum ascensum hominis, qui ad imaginem et similitudinem Dei creatus est<sup>12</sup>. Necesse est ergo humana natura, lege naturali cogente, in Verbum redeat, in quo est facta:

Quemadmodum unumquodque ad suum principium, sive sensibile sive intelligibile, naturaliter cogitur redire, ita etiam humanam naturam ad suum principium, quod nihil aliud est praeter Dei Verbum, in quo facta est et incommutabiliter subsistit et vivit, reversuram esse incunctanter credamus, certissimisque rerum argumentationibus roborati intelligamus<sup>13</sup>.

In culpa protoparentis perdidit homo honorificam imaginem quam habuerat in principio et *irrationabili motu volvitur*, dum antea purissima ratione frui laetabatur, cum transmutetur in statum insipientium animalium, sicut in *Psalmis* legitur:

Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis<sup>14</sup>.

Naturae ista perturbatio necesse est demum praetereat, ut a perversa disparitate hominum natura ad unum ascendat. Ubi ruinae status paratur, inde incipit redditus<sup>15</sup>. Quae restauratio quinque permutationum temporibus efficitur. Primo permutatio fit cum corpus dissolvatur in elementa sensibilia, quibus compositum est. Secundo anima corpori suo ex materia composito in resurrectione coniungitur. Tertio fit mirabilis transmutatio humani corporis in spiritum. Quarto anima, quae ex causis primordialibus subsistentiam duxit, in easdem unde orta est revertetur. Quinta et ultima permutatio efficitur, cum creatura in Deum movebitur<sup>16</sup>.

<sup>12</sup> Pph., IV. p. 15 (750 C–D); p. 26 (758 D–759 A); V, 799 A–D; 863 B; 942 B–C; 953 A–B; 957 C; 979 A, etc.. Cf. Gen 1, 26.

<sup>13</sup> Pph., V, 871 B–C.

<sup>14</sup> Ibidem, 874 C. Cfr. Ps 48, 21.

<sup>15</sup> Pph., V, 875 C: „Ubi ruinae suae finem [natural] posuit, inde iterum redire inchoavit”.

<sup>16</sup> Ibidem, 876 A–B: „Prima igitur humanae naturae reversio est, quando corpus solvitur, et in quattuor elementa sensibilis mundi, ex quibus compositum est, revocatur. Secunda in resurrectione implebitur, quando unusquisque suum proprium corpus ex communione quattuor elementorum recipiet. Tertia, quando corpus in spiritum mutabitur. Quarta, quando spiritus, et, ut apertius dicam, tota hominis

Summum natura assequetur finem ultimo permutationum momento, quo, iuxta paulinam lectionem, *erit enim Deus omnia in omnibus, quando nihil erit nisi solus Deus*<sup>17</sup>. Permutatio, quae per quinque expeditur momenta, tribus paeterea progressionis gradibus, in ordine et physico et morali, reapse expletur, id est, purificatione (vel purgatione), *illuminatione et perfectione*. Quae doctrina procul dubio repetitur, claris tamen et propriis erigenianae mentis signis permanentibus, ex lectione Ps. Dionysii Areopagitae<sup>18</sup>. Quae removet omnia quae, ut scoriae, addita sunt et rerum puritatem infecerunt, ea est revera purificatio. Necessa est ergo exuantur humanae substantiae omnibus perversionis additamentis et revocentur in illum perfectionis statum, cuius causa creatae sint, ita ut electi ad deificationem accedere possint<sup>19</sup>.

Cum autem, secundum apostoli oraculum, *praeterit figura huius mundi*<sup>20</sup>, nulla ratio cogit intelligendum essentias cessare in mundo, sed solum figuram. Hic Eriugena, mentione Augustini facta, cuius sententia non natura sed figura praeterit, docet abire solum apparentias et accidentia cum omni pondere corruptibilium, quae sunt huius mundi figura transiens. Natura (φύσις) non univoco sensu ab Eriugena accipitur. Ante omnia eadem intelligitur ac essentia, quae a Dei sapientia ab aeterno est prodita et in aeternum est permanans, ideoque nec corrupti nec augeri nec minui potest; dein consideratur natura, quae per loca et tempora generata et accidentibus ambita, generationis et corruptionis legibus est procul dubio obnoxia<sup>21</sup>.

---

natura in primordiales causas revertetur, quae sunt semper et incommutabiliter in Deo. Quinta, quando ipsa natura cum suis causis movebitur in Deum, sicut alr movetur in lucem”.

<sup>17</sup> Ibidem, V, 876 B. Cfr. 1 Cor 15, 28.

<sup>18</sup> Comm., pp. 316–318 (338 D–339A): „Quae [intelligentia] purgabitur prius per fidem, illuminabitur per scientiam, perficietur per deificationem”. Plures de hoc argumento sermo fit. Cfr., v. g., Pph., I, p. 14 (449 D); II, p. 65 (574 A); V, 864 C; 981 D; Exp., pp. 111–113 (188 D–190 B); pp. 123–124 (199 C–200 A); p. 181 (246 D). Hac in re Eriugena doctrinam dionysiacam, ut facile patet, persequitur de purificationis, illuminationis et perfectionis gradibus, qui sunt καθαρός, φωτομός, τελείωσις, sicut legi potest apud *Corpus Dionysiacum*, II, *De Coelesti Hierarchia*, ed. G. Heil et A.M. Ritter (Patristische Texte und Studien 36), Berlin – New York, De Gruyter, 1991, p. 19 (165 C) et passim.

<sup>19</sup> Compluries Eriugena disserit de deificatione, ad quam perveniant iusti, qui sint de omni labore purgati. Lege, praeter Comm., pp. 316–318, sicut scripsimus in nota superiore, Pph., IV, p. 4 (743 A): „Urit Pater, urit Filius, urit Spiritus Sanctus, quia simul nostra delicta consumunt, et nos velut holocaustum quoddam per θέων (id est deificationem) in unitatem suam convertunt”; V, 864 D–865 A: „Urit quidem nostra delicta, est enim Deus ignis consumens purgansque irrationabiles nostrae naturae sordes eamque dividit atque discernit ab his, quae ei merito praevaricationis supervenerant”; 1017 C–D: „Venit sponsus, et paratas virgines [seu omnes iustorum animas purificatas] inque suo adventu ornatas praecoccupavit, et ad suas nuptias introduxit, hoc est, in suam deificationem, qua perfectissimos animos supernaturali contemplationis suae gratia glorificat”; etc. Cfr. P.A. Dietrich et D.F. Duclew, „Virgins in Paradise: deification and exegesis in ‘Periphyseon V’”, in: Jean Scot Ecrivain, Actes du IV<sup>e</sup> colloque international. Montréal 28 août – 2 septembre 1983, ed. G.-H. Allard, Montréal, Bellarmin; Paris, Vrin, 1986, p. 36, n. 27. Hic plurimi memorantur loci, qui de deificatione apud Eriugenam sermonem faciunt, et referuntur praeterea nonnulli nostrae aetatis auctores, qui opportune de hoc argumento ediderunt commentarios. *Ignis consumens vel devorans* locutio est ex Scriptura desumpta: Deut 4, 24; 9, 3; Heb 12, 29.

<sup>20</sup> Pph., V, 866 D. Cfr. 1 Cor 7,31.

<sup>21</sup> Pph., V, 867 B: „Essentiam itaque rerum sensibilium, quam praefatus Pater [Augustinus] naturae significavit appellatione, perpetualiter permanens esse vera ratio fiducialiter astruit, quoniam in divina sapientia incommutabiliter ultra omnia loca et tempora omnemque mutabilitatem facta est. Naturam vero per loca et tempora generatam, ceterisque accidentibus ambitam, intervallo a conditore omnium praedefinito peritaram, nemo sapientiae studiis instructus potest ambigere”. Cfr. Augustinus, De

Inde in rerum universitate universitas conspicitur naturarum, quarum rationes in causis primordialibus semper instant. Quamvis haec distinctio non semper in doctrina erigeniana sit conspicua, menti tamen studiose inquirenti sine dubio enodatur. Naturae itaque loco et tempore creatae non aliter corruptibles fiunt, nisi cum capiantur vario accidentium genere; quapropter naturarum reversio in causas efficitur, cum purificatio peracta sit omnium deformitatum et vitiorum, quae naturas in origine incontaminatas inquinaverint<sup>22</sup>. Inter omnes mundi creaturas hominum natura excellit, quae, cum sit ut exemplar divinum condita, nullum patietur interitum et in spiritualem statum, quo primitus facta est, restituetur et in Deum ineffabiliter convertetur:

Mutatio itaque humanae naturae in Deum non substantiae interitus aestimanda est, sed in pristinum statum, quem praevericando perdiderat, mirabilis atque ineffabilis reversio<sup>23</sup>.

Cum universitatis rerum permutatio ex conditione inferiore ad statum superioris ordinis apud Eriugenam certo sancitur<sup>24</sup>, praeteribit necessario quod in hoc inferiore mundo temporale et locale factum est, cum spatium et tempus, quae ratione mundi sint posita, necesse est cum eodem cessent<sup>25</sup>. Praeterea — non ultimum est notandum — et spatium et tempus ad logicum genus pertinere videntur, quoniam mente percipiuntur nonnisi ut *fines*, inter quos *essentia cognoscitur circumcludi*<sup>26</sup>. Hisce positis, natura servabitur et perficietur, ut unum aeternum ab omnibus fiat. Atque his in casibus integrum servare uniuscuiusque substantiae proprietatem maxima cura semper est philosopho nostro, qui ad propositum suum illustrandum deferre non desinit exempla de mundo sensibili desumpta. Aér, v. g. cum in lucem convertatur, proprietatem suam non amittit, neque ferrum cum sit in ignem trasmutatum:

civitate Dei, XX, 14. Iuxta sermonem Eriugene, cuius est in mente augustinianam sententiam non pervertere, corruptio in natura, ut videtur, nonnisi per corruptibilia accidentia fieri potest, ut in nota inferiore significatur.

<sup>22</sup> Pph., V, 885 B–886 B. Ex colloquio discipuli cum magistro colligitur corruptionem in natura oriri per corruptibilia accidentia „superaddita”, quae per se „et mutabilia sunt et transitoria, locis temporibusque subiecta, generationibus et corruptionibus obnoxia”, ita ut postremo solvantur, cum „unum [...] inseparabile et incommutabile” fiat. De reversione omnium in causas, cf. Ibid., 866 D: „Finis enim ipsius [creature motus] principium suum est, quod appetit, et quo recepto cessabit, non ut substantia ipsius pereat, sed ut in suas rationes, ex quibus profectus est, revertatur”; 891 C: „Ipse vero mundus, qui sub sole est, et ab aeternis causis ortum accepit, in easdem causas reversurus est”. Cfr., insuper, Ibidem, 892 C; 965 B; 993 A; 1001 A; etc.

<sup>23</sup> Ibidem, 876 B.

<sup>24</sup> Ibidem, 901 A–B: „Pronde si in universitate sensibilium humana praecedit natura, et superiora semper inferiora ad se attrahunt, non enim ratio sinit superiora ab inferioribus consumi, inferiora autem in superiora transire certissimis approbationibus approbat”. Cfr., praeterea, Ibidem, II, pp. 15–16 (535 B); V, 879 A; etc.

<sup>25</sup> Ibidem, V, 888 C. Eriugena hic indubitanter considerat loca et tempora „simil cum mundo orta et coorta esse, et nullo modo ipsum praecessisse. In numero itaque eorum, quae intra mundum continentur, locum et tempus commemorandum vera ratio cogit”. Cfr. C. A 11 e g r o, Giovanni Scoto Eriugena. II — Antropologia, Roma, Città Nuova Editrice, 1974, pp. 137–138.

<sup>26</sup> Pph., I, p. 43 (471 C): „Intra haec [tempus et spatium] siquidem veluti intra quosdam fines circumpositos essentia cognoscitur circumcludi”. Cfr. Ibidem, p. 58 (483 C).

Nam neque aér suam perdit substantiam, cum totus in solare lumen convertitur, in tantum ut nihil in eo appareat nisi lux, cum aliud sit lux, aliud aér; lux tamen praevalet in aëre, ut sola videatur esse. Ferrum aut aliud aliquod metallum, in igne liquefactum, in ignem converti videtur, ut ignis purus videatur esse, salva metalli substantia permanente<sup>27</sup>.

Ne quid contradictorii videatur, si unitas cum varietate dicatur coniugari. Hic enim alia efficacius succurrunt rerum sensibilium exempla: aliqua aurea sphaera in summitate posita potest ab omnibus circumstantibus distincte conspici, nec uniuscuiusque oculus ab aliis impeditur eandem rem contemplari<sup>28</sup>; multae lucernae in ecclesia ardentes unum efficiunt lumen, nec discernuntur lumina a singulis lucernis prodita<sup>29</sup>. Quae tamen exemplorum series non in ipso exemplorum ordine exhauiuntur, sed imagine sensibili suppeditant veritates, quae ratione et fidei argumentis comprobantur. Nam veri ratio subtilius in mundo intelligibili perspicitur:

Nec per hoc [scilicet rerum conversionem in Deum] conamur astruere substantiam rerum peritaram, sed in melius per gradus praedictos reddituram [...]. Si enim omne, quod pure intelligit, efficitur unum cum eo, quod intelligitur, quid mirum, si nostra natura, quando Deum facie ad faciem contemplatura sit, in his qui digni sunt, quantum ei datur contemplari, in nubibus theoriae ascensura, unum cum ipso et in ipso fieri possit<sup>30</sup>.

Quod autem naturali lege in universo mundo reperitur, in humana natura singulari Dei munere efficitur, cum *creatura ineffabili miraculo in Deum vertatur*<sup>31</sup>. Quo in miraculo pro hominum genere miram divinae gratiae actionem cernere vi verbi oportet, praesertim cum agatur de beneficio deificationis, ad quam electi sint vocati. Nemo enim potest, ut firmissime Eriugena probat, altissimum attingere Deum, qui omnem intellectum et omnes humanae naturae vires in immensum excellit, nisi supervenerit gratiae efficacitas, quae humanam naturam *deificando sublimat*<sup>32</sup>. Naturarum tuitio cum earum ascensu ad spirituales substancias in

<sup>27</sup> Ibidem, V, 879 A-B. Lege quid de harum imaginum origine et sensu scripserit J. P. in: „Stilla aquae modica multo infusa vino, ferrum ignitum, luce perfusus aér”. L’origine de trois comparaisons familiaires à la théologie mystique médiévale”, *Divinitas* 11 (1967), pp. 331–375, praesertim, pp. 341–344.

<sup>28</sup> Pph., V, 883 A-B: „Aurea spherula, in summitate altissima turris posita, simul ab omnibus undique circumstantibus potest videri; et unusquisque illam aspicientium obtutus sui radios in ea infigit, et nullus aliud dicit: Tolle tuum visum, ut et ego videam quod vides, quia simul omnes possunt aspicere”.

<sup>29</sup> Ibidem, 883 B-C: „Ponamus veluti in quadam ecclesia multas lucernas simul ardentes, et ex diversis sedibus lampadum fulgentes; nonne unum lumen efficiunt, ita ut nullus corporeus sensus sit, qui proprietatem luminis singularium lampadum ab alterius lumine possit discernere?”. Cfr. *Corpus Dionysiacum. De divinis nominibus*, ed. B.R. Schulz (Patristische Texte und Studien 33), Berlin – New York, De Gruyter, 1990, pp. 126–128 (641 A-C).

<sup>30</sup> Pph., V, 876 B.

<sup>31</sup> Ibidem, I, p. 16 (451 B).

<sup>32</sup> Ibidem, II, pp. 68–69 (576 B): „Non enim ibi naturae ratio, sed divinae gratiae ineffabilis et incomprehensibilis altitudo conspicitur. Nulli siquidem conditae substantiae naturaliter inest virtus, per quam possit et terminos naturae sua superare ipsumque Deum immediate per se ipsum attingere. Hoc enim solius est gratiae, nullius est virtutis naturae”; V, 911 B: „Humanam, quam [Verbum] acceperat

sermone paulino peropportune reperitur: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*<sup>33</sup>. Gregorius Nazianzenus, ut Iohannes Scottus refert, congrue loquitur de corpore *absorpto a vita et mortali et fluenti*<sup>34</sup>.

Ad apte explicandum quid de naturarum multiplicium permutatione earumque in uno permanentia Eriugena senserit, ad doctrinam recurrat adunationis, quae idem ac unitas, velut ipse suggerit, significat. Qui modus ratiocinandi et ipsa vox adunationis, a Maximo Confessore descendunt<sup>35</sup>. Omnes naturae, quando ad principium sui redeunt, nulla compositione vel mixtura interposita, in unum adunantur, sicut plures voces in choro, cum nulla earum qualitatem suam amittat, unam et mirabilem efficiunt harmoniam<sup>36</sup>. Profecto exempla apta sunt ad veritatem explanandam; at veritas est demum in mente expetenda, si naturae universae in suis rationibus [...] — ut Eriugena significanter animadvertisit — *puro intellectui rerum omnium veritatem inquirenti, invenienti, consideranti, unum individuum esse videntur et sunt*<sup>37</sup>. Nec unitas — adhuc est notandum — a multiplicitate seiungitur. Si enim mens altius perspexerit, unitatem reperiit cum multiplicitate in ipso Dei Verbo, quod rerum omnium prima causa est:

Conficitur et ipsum Verbum et multiplicem totius universitatis conditae principalissimamque rationem id ipsum esse. Possumus etiam dicere: Simplex et multiplex rerum omnium principalissima ratio Deus Verbum est [...]. Simplex quidem, quia rerum omnium universitas in ipso unum individuum et inseparabile est; vel certe individua et inseparabilis unitas omnium Dei Verbum est, quoniam ipsum omnia sunt. Multiplex vero non immerito intelligitur esse, quoniam per omnia in infinitum diffunditur, et ipsa diffusio subsistentia omnium est [...]. Manet ergo in se ipso universaliter et simpliciter, quoniam in ipso unum sunt omnia<sup>38</sup>.

Hoc modo consequitur ut individua humana natura in finali reditu ad unitatem contendat eademque personaliter fruatur, cum certum sit adunationem fieri *in unitatem quandam ineffabilem* [...] *proprietatibus et corporis et animae et intellectus*

---

naturam super omnia visibilia et invisibilia, super omnes virtutes coelestes, super omne quod dicitur et intelligitur, sua Deitati, quae Patri aequalis est, adunans sublimavit [...] quosdam vero per excellentiam ultra naturam deificans". Significatur hic natura humana a Verbo assumpta, sed comprehenditur universa humana natura, quam Verbum totam asumpsit et in suo ordine salvavit. Cfr., inferius, n. 41.

<sup>33</sup> Ibidem, V, 884 B. Cfr. 1 Cor 15, 44.

<sup>34</sup> Pph., 884 A. Cfr. quid affirmaverit Gregorius Nazianzenus, Orationes, cit., 784 A: „καταποθέντς ὑπὸ τῆς ξωῆς τοῦ θνητοῦ τε καὶ ψέοντος”.

<sup>35</sup> Pph., V, 880 A: „Naturarum igitur manebit proprietas, et earum erit unitas, nec proprietas aufer naturarum adunationem, nec adunatio naturarum proprietatem”; 894 A: „Omnia visibilia in intelligibilia, et intelligibilia in ipsum Deum transibunt mirabili et ineffabili adunatione, non autem, ut saepe diximus, essentiarum aut substantiarum confusione aut interitu”; et passim. At memorare adhuc oportet, Ibidem, II, p. 15 sq (535 A sq) et V, 893 B, ubi praedicatur „reditus et adunatio [...] totius creaturae in unum, et postremo in ipsum Deum”, et remittitur ad ea quae scripsérat M a x i m u s C o n f e s s o r, Ambigua, cit., XXXVII, p. 180 sq.

<sup>36</sup> Pph., V, 883 C-D: „Singula quaeque vox, sive humana, sive fistularis, vel lyricalis, qualitatem suam habere non desistit, dum unam harmoniam inter se plures unitate congrua analogia efficiunt”.

<sup>37</sup> Ibidem, II, p. 26 (544 A-B).

<sup>38</sup> Ibidem, III, pp. 35–37 (642 A–643 A). Cfr. Exp., p. 10 (134 C). Quaestio congrue perscrutatur a T. G r e g o r y, Giovanni Scoto Eriugena. Tre Studi. I: Dall’uno al molteplice, Firenze, Le Monnier, 1963, pp. 1–26.

*tus incommutabiliter permanentibus*<sup>39</sup>. Nunc autem, ut omnis dissolvatur difficultas, inquirere oportet quomodo possit integritas corporis permanere, si Eriugena, ut constat, facit corporis naturam in spiritum transeuntem, cum in suprema regressione desinat materia, qua corpus componitur. At opportune redeundum est ad eriugenianum sermonem de pristina humana conditione, qua corpus simul cum anima creatum nihil habuit ex materia. Cum post peccatum materia se animae copulavisset, degenerandi germen corpus iniit. Quapropter redditio totius humanae naturae efficitur per solutionem omnium elementorum, quae, ex materia composita, impropre naturae accesserunt. In postremo enim reditu ad *naturam*, *quae nec creatur nec creat* reversio fiet ad originis puritatem, qua humanum corpus fuerat spirituale confectum, quandoquidem restitutio in statum pristinum et incontaminatum, ut supra memoravimus, certo supervenerit et corporea natura, in potiorem conditionem permutablebitur<sup>40</sup>. Nec una eademque omnibus hominibus restauratio paratur. Cum natura humana integra a Verbo Dei sit assumpta eademque integra sit redempta<sup>41</sup>, in finali tamen rersurrectione homines, pro diverso vitae ante actae genere, duos consequentur reditus, quorum alter erit generalis, alter autem specialis: impii certo in simplicem naturam a Deo restauratam permutablebuntur, quapropter ad restitutionem generaliter admittentur bonorum naturalium, quae originali culpa amiserant; electi autem specialiter ad beatificam Dei visionem pervenient, usque ad summam in Deum permutationem, sicut Eriugena, cum sensum exponat de ligno vitae in medio paradisi, aperte declarat:

Datur intelligi quod tota nostra natura, quae generaliter vocabulo hominis ad imaginem et similitudinem Dei facti significatur, in paradisum, hoc est, in pristinam conditionis sua dignitatem reversura sit; in his autem solummodo, qui deificatione digni sunt, ligni vitae fructum participabit<sup>42</sup>.

Suam Eriugena adhuc confirmat sententiam in interpretando altero Scripturae loco: *Omnes quidem resurgentemus, sed non omnes immutabimur*<sup>43</sup>. Omnes homines quidem — explicat Scottus — in pristinum naturalium bonorum statum redibunt, sed non omnes beatitudinem adipiscuntur, quae solum electis, perfecte purificatis, contingit, cum soli possint, non ad paradisi extrema, sed in medium paradisum accedere ad arborem vitae, id est, ad Verbum Dei<sup>44</sup>. Clare igitur sonat differentia

<sup>39</sup> Pph., V, 883 B.

<sup>40</sup> Ibidem, 876 B: „Nec [...] conamur astruere substantiam rerum peritaram, sed in melius per gradus praedictos reddituram. Quomodo enim potest perire quod in melius probatur redire?“; 884 B: „Molis itaque terrena, mortalis, fluxilis [...] quae sensibus corporeis succumbit [...], solvetur, et in melius mutabitur“. Cfr., praeterea, Ibid., 866 D; 876 B; etc.

<sup>41</sup> Ibidem, 978 D: „Tota itaque humanitas in ipso, qui eam totam assumpsit in pristinum reversura est statum, in Verbo Dei videlicet incarnato“; 911 B: „Totam humanam naturam, quam totam accepit, totam in seipso et in toto humano genere totam salvavit, quosdam quidem in pristinum naturae statum restituens, quosdam vero per excellentiam ultra naturam deificans“.

<sup>42</sup> Ibidem, 979 A-B.

<sup>43</sup> Ibidem, 979 B. Cfr. 1 Cor 15, 51. Ista Pauli lectio scatet ex aliqua antiqua Biblorum versione. In: Nova Vulgata sic legitur: „Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur“.

<sup>44</sup> Pph., V, 865 B: „Sed quae est illa via, quae dicit ad lignum vitae? Et quid est illud lignum, ad quod dicit? Nonne idem ipse Filius Dei, qui de seipso loquitur: Ego sum via et veritas et vita (Joan 14,6)?“. Vide, insuper, Pph., V, 979 B.

inter statum extremum impiorum et electorum, cum hinc ad sola naturalia bona fiat reversio, et illinc ad coelestem beatitudinem feliciter accedatur. Et Eriugena facile instat in hac distinctione notanda:

Omnis nos, qui homines sumus, nullo excepto, in spiritualibus corporibus et integritate naturalium bonorum resurgemus et in antiquitatem primae conditionis nostrae revertemur, sed non omnes immutabimur in deificationis gloriam, quae superat omnem naturam et paradisum. Itaque sicut aliud est generaliter resurgere, aliter specialiter immutari; ita aliud est in paradisum redire, aliud de ligno vitae comedere. In uno siquidem naturae significatur restauratio, in altero electorum commendatur deificatio<sup>45</sup>. Omnes homines inter terminos naturalis paradisi, veluti intra quoddam templum, unumquemque in suo ordine contineri, soli vero in Christo sanctificati interiora intrabunt, et iterum in Sancta Sanctorum, veluti in interiora interiorum, ipsi qui in summo pontifice, Christo videlicet, sunt, et unum cum ipso et in ipso facti sunt, introducentur<sup>46</sup>.

Non solum inter beatos et reprobos seiunctus fit redditus, sed etiam suam quisque in utroque ordine propriam reperiet collocationem. Idemque beati — procul dubio constat — alii alias consequentur differentias vel distinctiones, si ad veritatem Scripturae oculis et mentibus bene advertitur, cum indubitanter ibi legatur: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*<sup>47</sup>. Clara elucet Scotti conclusio: diversos consequi permutationis gradus in coelestem spiritum et ad diversam pervenire beatitudinem unumquemque secundum altitudinem propriae contemplationis<sup>48</sup>.

Varietas enim ista — non numquam Eriugena subtile suae mentis rationes venusto excolit sermone — qua vel suavissimus oritur concentus naturae ad unum redeuntis ex discrepanti terrestris vitae dispersione, parat divino munere ex diversis et sibi invicem bene compactis sonis quadam harmoniae dulcedinem et pulchritudinem<sup>49</sup>. Quae sublimis reversio efficitur via quoque logica vel mystica, cum omnes diversi agnoscendi modi, in his tamen qui ad Θέωσιν vocati sunt, transitu sensus et rationis in intellectum vel vovv iam peracto, in unum et ineffabile verum, secundum propriam attingendae veritatis facultatem<sup>50</sup>, ordinabuntur atque quiescent.

<sup>45</sup> Pph., V, 979 B–C.

<sup>46</sup> Ibidem, 981 B–C.

<sup>47</sup> Ibidem, 982 C. Cfr. Joan 14.2.

<sup>48</sup> Pph., V, 911 C: „Quos deificat, sola participatione suae Deitatis, unumquemque secundum altitudinem propriae contemplationis post se constituit, ordinans in seipso, veluti in quadam domo, omnes, quos conformes sibi fieri elegit”; 982 B: „In ipsum itaque paradisum, veluti in amplissimum secretissimumque templum omnes homines, unusquisque secundum suam analogiam intrabit; et habitabit in eis ipse qui dixit: Ego ero in medio eorum (Ex 25,8; Ez 43,9) [...]. Est domus Domini in monte supernae contemplationis aedificata, ad quam propheta (Is 2,2–3) hortatur omnes homines per virtutum gradus et speculationum altitudes ascendere”.

<sup>49</sup> Pph., V, 1013 A: „Et qualis pulchritudo universitatis a Deo conditae foret, si omnia Deus aequaliter constituerit? Nam et sensibilis harmoniae dulcedo et pulchritudo non ex similibus sonis, sed ex diversis, ratis tamen proportionibus sibi invicem compactis ordinatur”.

<sup>50</sup> Ibidem, 1012 B–C: „Quoniam non eadem virtus est oculorum, quibus lux mentium percipitur, sequitur ut alii plus, alii minus ea fruantur, alii penitus ab ea excludantur [...]. Quare aequaliter intuendi divini luminis universae rationali naturae non datur possibilitas”.

Quibus positis — in conclusione dicendum — significanter eruit humani arbitrii laus. Cura enim praecipua est Eriugenae dignitatem humanae naturae colendi et libertatem servandi hominum, qui, cum sint ad imaginem Dei creati et a Verbo in pristinam post lapsum dignitatem restaurati, pro meritis tamen uniuscuiusque, cessante in novissimis huius mundi figura, diversos scendent gradus; et qui digni sunt in gloriam supremam ascendent. Perfecte igitur a Iohanne Scotto Eriugena observatur iustitiae ratio, quae suum cuique tribuit. Consumabitur itaque cursus historicus, cum rerum universitas ad extremam perveniet permutationem; ac naturae, omnibus vicissitudinibus tempore et loco peractis, in novissimo et restaurato ordine, ad principium sui incommutabiliter convertentur.

## NAUKA JANA SZKOTA ERIUGENY O PIERWOTNYM STANIE NATURY I JEJ PRZEMIANACH

### STRESZCZENIE

Zagadnienie to stanowi jeden z głównych problemów filozoficzno-teologicznych poruszanych przez Jana Szkołę Eriugenę zwłaszcza po dokonaniu przeżeń przekładu pism Pseudo-Dionizego Areopagity, z których przejął neoplatoniski schemat myślenia w kontekście tzw. drogi zchodzącej i wstępującej. Ta filozofia została przejęta przez wcześniejszych o niego uczonych chrześcijańskich tak na Zachodzie jak i na Wschodzie.

Droga zchodząca wiedzie od bytu absolutnie niezłożonego, prostego, jednego, jedynego i wiecznego do bytów złożonych, zróżnicowanych i zniszczalnych, podczas gdy droga wstępująca posiada kierunek wręcz przeciwny, jej początkiem jest kres drogi zchodzącej a kończy się odnowieniem wszystkiego i w ostateczności zjednoczeniem z Bogiem, początkiem wszystkiego.

Doktryna ta posiada u Eriugenę uzasadnienie metafizyczne i biblijne. Pismo św. zresztą stanowi dla niego pierwsze źródło uzasadnienia i wyjaśniania filozoficzno-teologicznego i tak świat jest poznawalny przez wiarę i poznanie racjonalne, a filozofia jest dla niego nauką, w której dochodzi się do poznania najwyższej przyczyny rzeczy i w tym punkcie spotyka się ona z prawdziwą religią. Nie ma pomiędzy nimi sprzeczności.

Początkiem poznania filozoficznego są dane zdobyte przy pomocy doświadczenia zmysłowego (*sensus*), by w dalszym ciągu proces poznania został podjęty przez rozum (*ratio*) i intelekt (*intellectus*). Tak wygląda ludzka droga powrotu do Boga, w której Eriugena podkreśla znaczenie poznania. Ale do Boga powraca przecież ogólny ogół rzeczy, ponieważ grzechem pierworodnym zostało dotkniete całe stworzenie. Eriugena opisuje poszczególne stopnie powrotu wszechrzeczy do Boga, choć szczególnie interesuje go droga powrotu człowieka do Boga stworzonego na Jego obraz i podobieństwo, które utracił przez grzech pierworodny, przez co zniżył się do zwierzęcego sposobu bytowania. Ten stan rzeczy musiał więc ulec zmianie i — według Eriugenę — przemiana człowieka dokonywać się będzie na pięciu stopniach, lub — inaczej mówiąc — w pięciu okresach: rozpad ciała ludzkiego, zmartwychwstanie ciał, cudowna przemiana bytowania ciała ludzkiego w istnienie duchowe, powrót duszy do pierwotnych elementów i pierwotnej doskonałości oraz — jako piąty etap — ostateczne przebóstwienie, czyli doskonale zjednoczenie człowieka z Bogiem, co jednak nie wyklucza możliwości wiecznego odejścia człowieka od Boga.

Swe rozważania Eriugena prowadzi w kontekście słów św. Pawła z 1 Kor 15,28, gdzie stwierdza on, że na końcu czasów wszystko zostanie odnowione w Jezusie Chrystusie. I tak pierwotny stan natury ludzkiej zniszczony został przez grzech pierworodny, wskutek czego w ciele ludzkim zostało zasiane ziarno zniszczenia. Na końcu czasów ludzie nieprawi otrzymają jedynie dobra naturalne utracone przez grzech pierworodny, podczas gdy sprawiedliwi zostaną dopuszczeni do uszczęśliwiającego widzenia Boga. Inny kontekst biblijny stanowi 1 Kor 15,51, gdzie św. Paweł mówi o zmartwychwstaniu wszystkich ludzi, lecz tylko przemianie niektórych. Do pierwotnego stanu natury zostaną dopuszczeni wszyscy ludzie, ale tylko niektórzy do szczęścia, które mieć będzie różne stopnie w zależności od stopnia poznania i kontemplacji tajemnic wiary.

*O. Stanisław Bafia*